



## PRIMA CLASSIS.

MEDICAMENTORUM IN SOLIDA ET  
FLUIDA SIMUL OPERANTIU.M.

**L**IET hæc Medicamenta in *duas* tantummodo Classes [ uti mox vidimus] in genere dividi possint ; quoniam tamen superius, nimirum in PROLEGOMENIS, CAP. XIII. , eadem in *quinque* Classes distribuimus, (de quibus vero conferatur dictum CAPUT , pag. 132. & sequ. ) hunc etiam ordinem hic loci sequeimur .

Porro , quum ad *primam* Classem [ juxta divisionem ibidem expositam] referenda sint omnia Medicamenta de quibus jam in I. & II. PARTE mentionem fecimus , quatenus scilicet actionibus combinatis agunt , ideo hæc imprimæntiarum non repetemus . At vero , quoniam ad Classem hanc retulimus quoque Classem eorum quæ *Seeretiones peculiares* promovent , idcirco ab ista nunc incipiemos : Sub hac autem continentur imprimis *Galactophora*, & *Spermatoœa* ; de quibus igitur jam agamus .

CAPUT

## CAPUT PRIMUM.

*De Galactopœis, sive Lac generantibus:*

I. **L**ac (Græce Γάλα) est ipsa Chyli materies, in Ventriculo elaborata, in intestinis ulterius subacta, intra Venas Lacteas absorpta, per Ductum Thoracicum ad Venam Subclaviam deducta, & ibidem Sanguini commixta; hinc vero ad Cor dextrum, & mox ad Pulmones delata, ibique comminuta & accuratius Sanguini permixta; dein ad sinistrum Cordis Thalamum, & inde per Aortam ejusque ramos, distributa; quæ porro, quatuor aut quinque horis, aut longiori intervallo, post largiorem pastum, Cruori e quacunque Vena, vel Arteria, detracto magna copia innatare deprehenditur, teste LOVVERO (a); atque tunc in omnibus cum Lacte convenit: post illud vero tempus, per continuatum in Corpore circulum, sensim mutatur in Sanguinem. Pars autem hujusc Chyli Lactescens, a reliquo separata, devenit ad Mammas, & ibidem proprio nomine *Lactis* insignitur; quod

K pro-

(a) *Tractat. de Corde*, Cap. V. pag. m. 238.

proinde a reliquo Chylo diversum non est , licet aliquando , propter sitim a Nutrice toleratam , ramosius evadat.

2. Jam vere *Galactopœa* dicuntur ea Medicamenta , quæ *Lac* generant . Hoc autem a Sanguine ( ut modo diximus ) immediate secerni vel inde clare patet , quod si Nutrix , jejuno stomacho , aliquid Liquidi colorati vel edorati bibat , intra breve tempus *Lac* ejus eodem utcunque colore & odore insufficientur ( a ) : si vero , per 12 horarum spatum , a cibo & pe-

tu

( a ) Unde & *Pharmacum Nutrici* propinatum ( præcipue vero & fortius fuerit ) ad ipsius Mammas statim advehiri , atque *Lac* inficere , exemplis manifestum est , quin etiam constat , Infantem , si prorinus ac assumptum est à Nutrice *Purgans* , Uberibus admoveatur , suftionemque continuet , donec nihil suppetat materiæ , certo expurgatum iri , Nutrice salva : Quod quidem experientias docet , vel ipso jam assentiente HIPPOCRATE , ( Libr. 6. Epidem. Sect. 5. vers. 51. Edis. LIND. ) qui sic loquitur : Γυνὴ, οὐδὲ εἰπεῖσθαι στοχεῖον αὐτῷ περιβούλαια τηλεοράσεις , h. e. Mulier , Capta , Elaterium ( illi malunt Elleborum hic intelligere ) aut Cucumerem sylvestrem comedentes , Pueris Purgatio . Hujus vero sententiae explanationem videris apud PROSP. MARTIANUM , præstansimum HIPPOCRATIS Interpretem , ( Commentar. p. 353. Rom. ) qui porro alibi ( nempe , Comment. in Lib. de Natura Pueri , pag.

tu abstineat Nutrix , ejus *Lac* adeo serosum , sive urinosum , ob novi Chyli defectum , reddetur , ut infans illud plane aversat urus fit . Idem etiam in febris Nutricum accidit .

Hinc patet , quænam in nostro Corpore *Lac* producant ; nimirum , ( i ) Quæcumque *Chylum copiosum* generant . Alimenta vero istud præstantia , sunt omnia quæ *Chylo* simillimam præbent : talia sunt , 10. Lac recens & dulce ; præsertim si Salis aut Sacchari pauxillo condiatur , quod quidem præstantissimam Chyli materiem suppeditat . Jam vero sæpe contigit , imprimis apud laute viventes , Matres ( ob defectum Lactis , ortum a nimis frequenti Carnium usu ) suæ Infantes non potuisse lactare ; utentes autem hoc præscripto , lætas redditas fuisse suorum Infantium nutrices .

20. Cremor Lactis recens & dulcis ;

K 2 præ-

43. I hanc in rem optime appositam histriam narrat , de quadam muliere , cui tale quid contigit : „ Quum enim , assumpto me- dicamento purgante , statim porrexisset Puellæ anniculæ Mammam , hæc Infans adeo fortiter purgata fuit , ut de super purgatione lethali dubitaretur , ipsi tamen Matri ne semel quidem albus subducta est ; signum evidens , medicamentum ad mammæ suctionis vi statim raptum fuisse , &c. „

## 220 PARS. III. CLASS. I. CAP. I.

præsertim si Lac Nutricum nimis a-  
quosum sit . 30. Ptisanæ omnes cra-  
ffiores ex Hordeaceis , sive potius ex  
Avenaceis , cum Lacte coctis . 40. Pa-  
natellæ quælibet , sive ex Lacte , sive  
ex Vino , sive ex Cerevisia . 50. Ory-  
zata cum Pistaciis , & similibus fari-  
naceis ; item Emulsiones ex iisdem .  
60. Juscula Carnium non nimis crassa;  
quæ vero fere statim ad Mammas  
eunt . 70. Ova recentia , variis modis  
parata . 80. Cerevisiae recentes , non  
diu fermentatae , crassæ & dulces . Ab  
his autem omnibus brevi secernitur  
*Lac* , quod post horæ 2 commode su-  
mi potest ab Infante .

(2) Omnia , quæ *Chylum* genera-  
tum ad Mammas derivant : hæc au-  
tem sunt illa quæ Chylificationem  
promovent ; ut 10. Stomachica , quæ  
augent Ventriculi robur , ita ut cum  
effectu sese contrahat ad liquidi ex-  
pulsionem : hinc observandum est , an  
Nutrix depravato Stomacho laboret .  
20. Splanchnica , quæ fluxum Bilis ,  
Succi Pancreatici , & Intestinalis ex-  
citant . 30. Musculorum motus omnes ;  
ut ambulatio , labores domestici , &c.  
Hæc omnia , Chylificationem promo-  
vendo , *Lac* copiosum ad Mammas de-  
rivant .

(3) Quæcunque *Lactis* excitant efflu-  
xum .

xum seu educationem e Mammis : et enim quo plus extrahitur , eo plus derivatur . Quædam autem dantur , quorum ope Lac per educationem promoveri potest : talia sunt ea omnia quæ Vasorum Lactiferorum resistentiam minuant ; ut 1o. Cucurbitulæ ; 2o. Fo-  
menta emollientia ; saepius applicata ;  
3o. Frictiones ; 4o. Suctiones . Quibus omnibus si Mulieres uterentur , hæc tenellis infantibus , Laeti propria su-  
stitione educendo imparibus , ex usu forent . Ita quoque Catuli recens na-  
ti Papillæ butyro illitæ , magno cum effectu , applicari possunt . Jam vero calidiora , quæ vulgo huc annumeran-  
tur , stimulando solum agunt , ideoq;  
ad supra dictam indicationem proprie  
referenda non sunt .

**COROLL.** Ex dictis autem patet , Nutrices illas quibus laxa est caro , aliis præcellere ; quippe Chylum æque laudabilem generant , ac robustiores , & insuper uberiori copia red-  
dunt .

## C A P U T II.

## De Spermatopœis.

**S**permatoœas sunt illa, quæ Semen generant. Jam vero ad Semen conſiendū triplex Liquidum requiri-  
tur; nempe, 1º. Liquidum Prostata-  
rum, 2º. Vesicularum Seminalium,  
3º. Testiculorum, quod autem ſolum  
proliſticum eſt, ut conſtat ex Eunu-  
chis: quapropter Medicamentum Se-  
men generans eſt illud, quod hujus Li-  
quidi in Testibus elaborationem pro-  
movet: talia vero ſunt ſequentia.

(1) Omnia quæ Chylum benignum,  
ac proinde Lac & Sanguinem augent;  
hinc etiam Animalia Laſte copioſiſſi-  
me utentia, falacißima ſunt.

(2) Medicamenta quælibet Rela-  
xantia, ſive reſiſtentiam in Testiculis  
tollentia: talia vero ſunt Fofus, &  
Balnea calida; nec non omnia Oleo-  
fa, ut Oleum Rutæ, &c. atque ex  
hiſ Präparata, forma balsami, vel  
cataplaſmatis, Scroto applicata. Spe-  
cifice vero laudantur pro Medicamen-  
tis Spermatopœis, varia Präpara-  
ta ex Abrotano, Maro odorato, A-  
ristolochia, Calamintha, Eryſimo,  
Eryn-

Eryngio , Nasturtio aquatico , & hor-  
tenſi , Dictamno , Levisticō , Origano  
Cretico , Nepeta , Petroselino , Sabi-  
na , Serpyllo , Thymo . Hæc externe  
applicata Seminalem Humorem huc  
deducunt .

( 3 ) Quæcunque *Nervosum Liqui-*  
*dum* valde stimulant , interne sumpta ,  
atque *priaprismos* producere solent : ta-  
lia sunt , Allia , Cepæ , Porri ; nec  
non omnia quæ in secunda Classe  
numerantur ; item omnia Gummi a-  
romaticæ , ut Myrrha , Aloe , Galba-  
num , Sagapenum , Bdellium , Gummi  
Ammoniacum , Elemi , Tacamahaca ;  
nec non Balsamum Peruvianum , To-  
lutanum , Copayba , ( Canadense ) ,  
Balsamum e Mecha sive Opobalsamum ;  
ut & Alimenta opipara , quæ ,  
nimia copia assumpta , *satyrias in* pro-  
ducunt . Vis autem horum omnium  
*seminifica* patet inde , quod homini-  
bus a Gonorrhœa convalescentibus  
propinata , nocturnas pollutiones eis  
excident .

Ad hanc Classem quoque referendi  
sunt omnes Sales , ( Nitro & Vitrio-  
lo exceptis ) ut Borax , Alumem , Sal  
Marinus , Sales omnes Volatiles , &  
imprimis Oleosi ; omnes etiam Sapones ;  
item Diuretica quælibet ( Aqua  
sola excepta ) ; simul & Animalium

K 4 Olea ,

Olea , ut Castoreum ; nec non Olea Aromatica Vegetabilium . Notandum est tamen , ista non proprie *Semen* generare , sed solummodo , Nervos stimulando , Seminis Secretionem promovere hinc igitur non danda sunt Senibus , utpote quibus Semen & Humor Nervosus deficiunt . Hisce tandem omnibus addi possunt Cogitationes Venereæ ; unde nocturnæ pollutiones sæpe fiunt ; &c.

(4) Specifica a Veteribus laudata : qualia sunt , Anethum , Fœniculum , Eruca , Ciceris , Satyrion ; quæ omnia modo supra dicto operantur : Ita quoque Testes Animalium salacium , nimirum Hirci , Caballi , Galli Galinacei , ut & Passeris Cerebrum , a Veteribus commendantur ; sed incerta sunt , & forte vana .



SE-